Sixtus Episcopus Servus Servorum Dei Ad Perpetuam Rei Memoriam

Ea que pro Monasteriorum quorumlibet et in illis dignitates amministrationes uel officia obtinentium presertim femineo sexus ac sub regulari obseruantia domino famulantium necnon aliarum ecclesiasticarum nobis et aplice sedi grata deuotionis et familiaritatis obsequia impendentium personarum comodo et utilitate superioris precipue interueniente auctoritate processisse noscuntur ut firma perpetuo et illibata persistant libenter cum a nobis petitur aplici muniminis firmitate roboramus ipsasque personas nobis obsequia huiusmodi impendentes fauoribus et gratijs pro eorum meritis prosequimur oportunis. Sane pro parte dilecti filij Johannis Geronis Canonici Gerunden familiaris et Capellani nostri nobis nuper exhibita petitio continebat quod olim dilecta in xpo filia Johanna de Cassiano Cameraria Monasterij Monialium sancti Danielis extra muros Gerunden ordinis sancti Benedicti prouide attendens quod quedam domus Mansus de Gerone nuncupata dicmatus de fischo infra metas parrochie parrochialis ecclie sanctorum Juliani et Basilisse loci de Corciano Gerunden dioc in qua ipsa Johanna et pro tempore existens Cameraria dicti Monasterij habebat plenum et directum dominium etiam sub prestatione hominum et mulierum ac agrariorum aliarumque seruitutum realium et personalium necnon solutione Tertiorum Laudimiorum Foriscapiorum censuum Tascharum et aliorum onerum per eam et pro tempore existentem Camerariam dicti Monasterij hactenus in tota dicta domo seu Manso leuari et haberi solitorum propter guerrarum turbines et armigerorum incursiones seu inuasiones que proch dolor in partibus illis diutius viguerunt plurimum depauperata fuit deuastata illiusque edificia propter aquarum inundationes ad ruinam deuenerant et destructa erant et quod si dominium ipsa et iura dicte Camerarie in illa uenderentur eidem Johanni qui a dicta domo originem et cognomen traxerat et iuxta facultates a deo sibi datas de bonis eius industria et laboribus acquisitis domum ipsam releuare et restaurare intendebat pretio Centum librarum monete illarum partium et pretium ipsum in emptione aliorum bonorum pro dicta Cameraria seu in alias ipsius Camerarie oportunitates conuerteretur id in euidentem dicte Camerarie cederet utilitatem dicteque domui prouideretur ne ad ulteriorem ruinam proueniret ac uolens eiusdem Camerarie utilitati consulere ut tenebatur uendidit et titulo pure simplicis ac libere uenditionis perpetue [illegible] directum et utile ac alodiale Dominium quod ipsa Johanna et pro tempore existens dicti Monasterij Cameraria in dicta domo illiusque personis Terris et possessionibus habebat et habere consueuerant et prestationem deliberationem hominum et mulierum ac agrariorum aliarumque seruitutum realium et personalium necnon solutionem tertiorum laudimiorum foriscapiorum censuum et aliorum onerum ad dictum directum Dominium pertinentium dicto Johanni ut laice persone ementi pro se et heredibus suis pro dicto pretio dictarum Centum librarum monete illarum partium obtenta prius per ipsam Johannam Cameraria licentia desuper a Venerabili fratre nostro Johanne Epo Gerunden per eum postquam certificatus fuerat per certos tunc expressos ad hoc per eum deputatos quod ipsa uenditio si fieret in euidentem Camerarie et Monasterij huiusmodi cederet utilitatem concessit ac dilectarum in xpo filiarum Yolantis Abbatisse et Conuentus dicti Monasterij accedente consensu Mansum siue domum huiusmodi ab omnibus seruitutibus solutione et alijs oneribus realibus et personalibus quibuscumque et quocumque nomine nuncupatis eidem Johanne et pro tempore Camerarie dicti Monasterij existenti prestari solitis totaliter liberauit et absoluit prout in quodam publico desuper confecto Instrumento plenius dicitur contineri Quare pro parte dicti Johannis nobis fuit humiliter supplicatum ut uenditioni concessioni et absolutioni premissis omnibusque alijs et singulis in dicto Instrumento contentis que ut asseritur in euidentem dicte Camerarie cesserunt et cedunt utilitatem pro earum subsistentia firmiori robur aplice confirmationis adiicere aliasque sibi in premissis oportune prouidere de benignitate aplica dignaremur. Nos igitur nomina et cognomina conditiones qualitates situationes confines ualores seruitutes onera ac omnia et singula alia in dicto Instrumento contenta presentibus pro expressis habentes ac prefato Johanni qui etiam continuus commensalis noster et Camere aplice Notarius existit ob diuturna grata per eum nobis et aplice sedi impensa seruitia illa per que eius tranquillitati et quieti plenius consulatur concedere uolentes specialis fauoris et honoris titulo prosequi uolentes [illegible] uenditionem concessionem et absolutionem predictas ratas et gratas habentes illas ac prout eas concernunt omnia et singula in dicto Instrumento contenta et inde secuta quecumque auctoritate aplica tenore presentium confirmamus et approbamus ac presentis scripti patrocinio communimus supplentes omnes et singulos defectus tam iuris quam facti siqui forsan interuenerint in eisdem ac prefatum Johannem eiusque heredes et successores necnon domum siue Mansum huiusmodi eiusque personas et terras possessiones et omnia bona mobilia et immobilia ad Mansum siue domum huiusmodi spectantia ab omnibus et singulis seruitutibus solutionibus hominum prestationibus alijsque oneribus et obligationibus realibus et personalibus predicte Johanne et que pro tempore erit dicti Monasterij Camerarie inantea dandis faciendis soluendis seu prestandis perpetuo libera et exempta esse dicta auctoritate decernimus ac liberamus et eximimus per presentes Quodque domus siue Mansus huiusmodi deinceps lo Mas de Gerone nuncupetur et ita in Instrumentis et scripturis quibuslibet describi et nominari debeat dicta auctoritate statuimus Et insuper prefato Johanni ad quem iuxta sui genitoris conditum testamentum Domus siue Mansus predictus cum omnibus iuribus pertinentijs honoribus et oneribus suis pertinet et qui in eo succedit quod per uiam donationis inter uiuos uel causa mortis aut institutionis heredum uel alias prout sibi placuerit de dicta Domo siue Manso libere disponere et illam seu illum cum iuribus et pertinentijs predictis alicui ex fratribus seu Nepotibus suis carnalibus cui maluerit etiam non seruata dicti testamenti forma donare relinquere et elargiri ac Unum uel Duo beneficium seu beneficia ecclesiastica uel ecclesiastica simplicia aut Capellam seu Capellas siue Capellaniam seu Capellanias in dicta parrochiali ecclia seu Hospitali dicti loci de Corciano aut alijs ad hoc congruentibus et honestis que maluerit eligere ecclijs siue locis sicut postquam illud illam illas uel illa respectiue sufficienter dotauerit fundare erigere et ordinare seu fundari erigi et ordinari facere libere et licite possit et ualeat plenam et liberam eisdem auctoritate et tenore licentiam concedimus Necnon eidem Johanni et heredibus suis siue alijs de genere suo prout sibi placuerit ius patronatus et presentandi personam seu personas ydoneam seu ydoneas ad beneficium seu beneficia ac Capellaniam seu Capellanias fundandam seu fundandas huiusmodi pro Prima uice et quotiens illa ex tunc uacare contigerit eadem auctoritate perpetuo reseruamus districtius inhibentes prefatis et pro tempore existentibus dicti Monasterij Abbatisse et Camerarie ac alijs omnibus et singulis cuiuscumque ecclesiastice uel mundane dignitatis et excellentie aut status uel conditionis existant ne Johannem et heredes ac domum siue Mansum illiusque personas huiusmodi super Dominio superioritate et libertate huiusmodi ac directe uel indirecte quouis quesito colore molestare impedire aut alias qualitercumque perturbare presumant Et nihilominus Venerabilibus fratribus Ceruien et Alerien Epis ac dilecto filio Officiali Gerunden per aplica scripta mandamus quatinus ipsi uel Duo aut Unus eorum per se uel alium seu alios premissa omnia ubi quando et quotiens opus fuerit ipsique desuper fuerint requisiti solemniter publicantes ac Johanni et heredibus ac personis domum seu Mansum huiusmodi pro tempore tenentibus efficacis defensionis auxilio assistentes faciant auctoritate nostra Johannem et heredes ac Mansum et illius personas huiusmodi de cetero plena cuiusuis seruitutis siue oneris realis uel personalis libertate immunitate et exemptione possessione et usu libere uti et gaudere non permittentes eos super hijs per quoscumque quauis auctoritate contra tenorem presentium indebite molestari Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo Non obstantibus felicis recordationis Bonifacij pape viij predecessoris nostri et de [illegible] rebus ecclesiasticis et alijs aplicis constitutionibus necnon [illegible] imperialibus et municipalibus ac Monasterij et ordinis necnon loci predictorum statutis priuilegijs et consuetudinibus etiam iuramento confirmatione aplica uel quacumque firmitate alia roboratis contrarijs quibuscumque Aut si aliquibus communiter uel diuisim a dicta sit sede indultum quod interdici suspendi uel excommunicari non possint per litteras aplicas non facientes plenam et expressam ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mentionem Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis approbationis communitionis suppletionis constitutionis liberationis exemptionis statuti concessionis reseruationis inhibitionis et mandati infringere uel ei ausu temerario contraire Siquis autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum

Dat Rome apud Sanctum petrum Anno Incarnationis dominice Millesimoquadringentesimooctuagesimotertio Quintodecimo kl Decembris Pontificatus nostri Anno Tertiodecimo

Camareria S. Daniel. Corsa Nº 4.

1288

aqui se trobara com lo mas
Gerones de Sych Parroquia de
Corca no paga los censos
a la Camerarria de St. Daniel

Nº 4

SIXTVS PAPA IIII